

optime de studiis iuris civilis meritus est, nec omnino dubitandum Gaio imprimis deberi eum studiorum ordinem, quem Iustinianus tradit primusque rursus cum ipso edicto perpetuo immutavit. Et sane consentaneum erat, sicut in prima aetate populi Romani duodecim tabularum libellus, qui cum pubertate eius prodierat, exeunte demum libera rep. edicto praetoris cesserat, etiam in altera aetate imperii, quae eius in pubertate maxime Gai scriptis ad discendum composita erat iurisprudencia, exeunte demum imperio Iustiniani novae compositioni cedere. At, inquis, haec omnia certis testimoniis non nituntur. Audio; sed maximam ea habere probabilitatem non facile negabit, qui ipsas res, ex quibus argumenta duximus, recto iudicio perpenderit.

Iam si hoc Gai ingenium, si tale totius vitae institutum erat, ut etiam discriminis origo eorum, qui ius publice responderent et qui tantum docerent (Gell. l. c. 'ius publice docentium aut respondentium', Fr. Vat. 150. L. 6 § 12 D. de excus. 27, 1. L. 1 § 5 D. de extraord. cogn. 50, 13) ab eo potissimum repetenda videatur, quid mirum est, quod neque responsa dando iuris auctor habitus est neque in posteriorum libris laudatus? Quod is quidem, si mortuis res humanas datum esset sentire, aequo animo poterat ferre. Nam quotcunque iuris auctores postea etiam Institutiones scripserunt, velut Callistratus, Marcianus, Florentinus, Paullus, Ulpianus, nemo eorum ad Gaianarum laudem aspiravit locove, quem in scholis obtinuerunt, deturbare eas valuit. At Gaius post aliquot saecula assecutus est, ut eius libri, primum illi, qui in scholis tractabantur, hominum favore et consuetudine, deinde etiam ceteri omnes lege lata eandem in iudiciis auctoritatem obtinerent, quae Papiniano, Paulo, Ulpiano iam antea competierat. Nam Valentinianus L. 3 Th. C. de resp. prud. (1, 4) cum ait se Papiniani, Paulli, Gai, Ulpiani atque Modestini scripta universa firmare, 'ita ut Gaium, quae Paullum et Ulpianum et cunctos comitetur auctoritas lectionesque ex omni eius opere recitentur', non